

LIBER PRIMVS

1.

C. PLINIVS SEPTICIO SVO S.

- 1 Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo
curatius scripsissem, colligerem publicaremque. col- 5
legi non servato temporis ordine (neque enim histo-
riam componebam), sed ut quaeque in manus vene-
2 rat. superest, ut nec te consilii nec me paeniteat obse-
quii. ita enim fiet, ut eas, quae adhuc neglectae iacent,
requiram et, si quas addidero, non supprimam. vale. 10

2.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

- 1 Quia tardiozem adventum tuum prospicio, librum,
quem prioribus epistulis promiseram, exhibeo. hunc